



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 62. Baji epistola unacum apologia ad Papam transmissa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

lenfia comitia Guardianos, & cujuslibet conventus Deputatos ex sua Provincia convocabat, eisque summi Pontificis decretum significans præcepit, ut septuaginta sex illos articulos per Bullam damnatos ejurarent. Huic mandato quantocius Religiosi tam suo, quam omnium suæ Provinciæ Fratrum nomine obtemperabant: verum Bajus se undique oppugnari, ac quamplurimos in se adversarios accersiri cernens, pro tuenda sua caussa calamum arripere, omnino necessarium duxit. Ergo doctrinæ suæ apologiam contra Papæ Bullam concinnat, eamque die octava Januarii Anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo nono Romam transmittit, unacum literis ad summum Pontificem datis, quas Cardinali Simonettæ sibi in Synodo Tridentina probe cognito inscripsit. Erat epistola his concepta verbis.

Sæcul. XVI
A. C. 1569.

§. LXII.

Baji epistola unacum apologia ad Papam transmissa.

Beatissime Pater!

„Jam annus est, quod nobis exhibitæ
„sunt literæ Beatitudinis vestræ
„plumbeo sigillo munitæ, datæ Romæ
„Calendas Octobris anni millesimi quin-
„gentesimi sexagesimi septimi, quibus
„dam-

*Bajan. t. r.
p. 198. 679.*

Hist. Eccles. Tom. XLVIII.

Z „dam-

Sæcul. XVI „damnabantur septuaginta sex senten-
 A.C. 1569 „tiæ, quarum literarum copiam neque
 „hic, neque Romæ obtinere potuimus.
 „Sententiæ damnatæ per hanc inferio-
 „rem Germaniam passim habentur, &
 „circumferuntur. Metuimus, ne quæ
 „vestræ Sanctitatis existimationi detra-
 „hant, non tantum propter manifestas
 „calumnias, quæ videntur in eis con-
 „tineri, sed etiam propter verba, &
 „(ut apparet) etiam sensus quosdam
 „sanctorum Patrum, qui in iis damna-
 „videntur, nam regio hæc propter im-
 „portunam hæreticorum multos ha-
 „bet longe magis Scripturis sacris, &
 „veterum Patrum sermonibus assuetos,
 „& addictos, quam Doctorum Scho-
 „lasticorum: qui forte existimantes non-
 „nulla in Scriptis Sanctorum Patrum
 „contenta propter eos damnari, qui
 „nonnisi sensibus, & verbis Doctorum
 „Scholasticorum assueverunt, scandali-
 „zabuntur: quapropter visum est, ipsas
 „sententias simul cum iis, quæ nos mo-
 „vent, Beatitudini vestræ (cujus ju-
 „dicio omnia subjicimus) transmittere,
 „ut iis consideratis facilius dispiciat,
 „ac judicet, utrum jam dictas literas
 „tanquam legitimas, & sufficienter di-
 „scussas habere velit, an tanquam sub-
 „reptitias, ac per quosdam bonorum
 „virorum æmulos importunitate magis,
 „ac

„ac arte, quam ratione obtentas. Deus Sæc. XVI.
 „Beatitudinem vestram diu Ecclesiæ A.C. 1569.
 „suz fervet incolumen. Lovanii octa-
 „va Januarii: anno millesimo quingen-
 „tesimo sexagesimo nono.

Beatitudinis vestræ ad
 oscula pedum.

§. LXIII.

Summa apologiæ Bajanzæ.

Porro Bajus in sua apologia admodum *Op. Bajl*
 proluxa unice eo collimasse videtur, *p. 80.*
 ut ostenderet, quod in sua doctrina sen-
 sus vere Orthodoxus contineretur, jux-
 ta quem ejus propositiones propugnari
 possent, eoquod voces consonarent
 sanctorum Patrum verbis, atque ipse-
 met eas haud alio in sensu enuntiaf-
 set, prout ipsemet Papa in sua Bulla
 diserte testatus videbatur. Ceterum
 huic apologiæ sequens est titulus: *sen-*
tentiæ per Sanctissimum Dominum Nostrum
Pium V. Romæ Calendis Octobris anni
millesimi quingentesimi sexagesimi septimi
dannatæ: adjecta explicatione tum earum,
quæ non tantum verbis, sed etiam in alio
sensu expressæ sunt, quam in iis libellis
habentur, ex quibus significantur excerptæ:
tum quæ ad alium sensum torquentur,
quam habent libelli; tum etiam quæ forte
cuipiam non immerito videantur non sa-
tis fuisse discussæ.

Z 2

Eodem